Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



36.

quis illorum ad se reuersus de morte anime sue re-
surgere, et ad matrem suam redire uoluerit tam-
quam filius penitens recipiatur. Nam sine hac
causa multo semper studio deuitanda, nullus
abbas Monachum alterius cuiuscumque abba-
tis nostri retineant sine assensu eius: nullus in
domum alterius cuiuslibet sine eius uoluntate
suos ad inhabitandum monachos introducat.

§. Eodem autem modo si forte quod absit abba-
tes nostri ordinis matrem nostram cisterciensem ec-
clesiam in sancto proposito languescere, et obserua-
tionem sancte regule, uel ordinis nostri exorbitare
cognouerint; abbatem eiusdem loci per IIII or
primos abbates, scilicet de Firmitate, de Pontini-
aco, de Claraualle, et de Morimundo, sub ceterorum
abbatum nomine, ut corrigatur ipse, et alios corrigere
curet ammoneant; et cetera que de aliis dicta sunt
abbatibus, si incorrigibiles apparuerint circa eum
studiosissime adimpleant; excepto quod si sponte
cedere noluerit, nec eum deponere, nec contumaci di-
cere anathema poterunt; donec aut in generali
capitulo, aut si illud forte iam visum fuerit ex-
pectari non posse, in conuentu alio conuocatis abba-
tibus, qui de Cistercio exierunt, et aliquibus alis-
rum, virum inutilem ab officio suo deponant; et
tam ipsi quam Monachi Cistercienses ydoneum ab-
batem eligere studeant.

§. Quod si abbas ille et monachi contumaciter
recalcitrare voluerint, gladio excommunicationis
eos ferire minime vereantur. Postea vero si quis
horum preuaricatorum tandem resipiscens, et ani-
mam suam saluare cupiens, ad quamlibet istarum
IIIor ecclesiarum, siue ad Firmitatem, siue ad
pontiniacum, siue ad claramvallem siue ad Mo-
rimundum confugerit; sicut domesticus et cohe-
res ecclesie cum regulari satisfactione recipiatur:
quoddusque proprie ecclesie sicut iustum fuerit re-

1 ab